

Guarinum, Richardum et Rannulfum. Isti nempe A Uticensi conventui legitime præfuerunt, pro me et pro aliis tanquam rationem redditori vigilaverunt, intus et exterius solertiam adhibuerunt, nobisque necessaria, te comitante et juvante, procuraverunt. Idus Martii, cum xvi essem annorum, jussu Serlonis electi, Gislebertus Lexoviensis præsul ordinavit me subdiaconum. Deinde post biennium, vii Kalendas Aprilis, Serlo Sagiensis antistes mihi stolam imposuit diaconi. In quo gradu xv annis tibi libenter ministravi. Denique xxxiii ætatis meæ anno, Guillelmus archiepiscopus Rothomagi xii Kalendas Januarii oneravit me sacerdotio. Eodem vero die ccxlv diaconos, et cxx consecravit sacerdotes, cum quibus ad sanctum altare tuum in Spiritu sancto devotus accessi, jamque xxxiv annis cum alacritate mentis tibi sacra ministeria fideliter persolvi.

Sic, sic, Domine Deus, plasmator et vivificator meus, per diversos gradus mihi dona tua gratuito dedisti, et annos meos ad servitutem tuam juste distinxisti. In omnibus locis, ad quæ jamdudum me duxisti, a tuis amari, non meritis meis, sed munere tuo me fecisti. Pro universis beneficiis tuis,

benigne Pater, tibi gratias ago, toto corde laudo et benedico, et pro innumeris reatibus meis misericordiam tuam flebiliter imploro. Parce mihi, Domine, parce, et ne confundas me. Ad infatigabilem bonitatem tuam pie plasma tuum respice et omnia peccata mea dimitte, et absterge. Perseverantem in tuo famulatu da mihi voluntatem, viresque indeficientes contra versipellis Satanæ malignitatem, donec adipiscar, te donante, perpetuæ salutis hæreditatem. Et quæ mihi, benigne Deus, hic et in futuro dari depono, hæc amicis et benefactoribus meis peropto. Hæc etiam cunctis fidelibus tuis secundum providentiam tuam concupisco; ad obtinenda perennia bona, quibus ardentem inhiant desideria perfectorum, quia nostrorum non sufficit efficacia meritum. O Domine Deus, omnipotens Pater, conditor et rector angelorum, vera spes et æterna beatitudo justorum, subveniat nobis apud te gloriøs intercessio sanctæ Virginis et matris Mariæ, et omnium sanctorum, præstante Domino nostro Jesu Christo, redemptore universorum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

---

ANNO DOMINI MCLI-LV

# GUERRICUS ABBAS IGNIACENSIS

## NOTITIA

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. ætatis*, t. III, p. 123)

Guerricus, ex canonico Tornacensi, scholæ magistro, monachus Cisterciensis et circa annum 1140 discipulus S. Bernardi, atque inde Abbas Igniacensis in diocesi Remensi, defunctus circa an. 1155, 19 Aug. Auctor *Sermonum*, qui post primam Joan. Cagnæi editionem (1) Paris, 1539, 8°, repetitam ibid. 1547, 8°, et a Joan. Costero emendatam Antwerp. 1546, deinde a Jacobo Merlono et ab Horstio et Mabillonio plus simplici vice vulgati sunt cum S. Bernardi scriptis. *Vere aureos ac mellitos* vocat Combefisius, qui eisdem locum dedit in sua *Bibliotheca concionatoria*. Exstant quoque in *Bibliotheca Patrum* Coloniens., tom. XIII, ex editione Joannis Costeri, et in Lugdunensi t. XXIII, et separatim Lugd. 1630, edente Mauro Raynaldo, Benedictino: et Gallice Joan. Gagnæo interprete, Paris. 1547. *Epistolas* quoque hujus Guerrici memorat Trithemius, cap. 588. Sanderus p. 105 *Bibliot. Belgicæ*, *Postillas super Psalterium* MStas Tornaci 2 Volum. in fol. Longe plura Carolus Vischius in *Biblioth. Cisterciensi*, p. 131, in *Evangelium Matthæi*, in *Pauli* et in *Canonicas Epistolas*, nec non tractatum *de languore animæ amantis*.

(1) Vide Riveti opera tom. III, p. 677; Labbeum, tom. I de S. E., p. 400; Maittaire, tom. III *Anal. typograp.*, p. 677.